

AK 235

Za
2927

AD

VIRVM ILLVSTREM ET AMPLIS

IOHANNEM GOTLOB
BOEHMIVM

PR. ELECT. SAX. A CONSIL. AVL. HISTORIOGR. SAXON
HIST. IN ACAD. LIPS. P. P. O. COLLEGII PRINC. MAIOR
SODALEM ALVMNORVM ELECTORALIVM EPHORVM
PASTOREM ARCADA

DE MORTE
CARISSIMAE CONIVGIS

ELEGIA

LIPSIAE
EX OFFICINA LOEPERIA



Coniugis ereptae tumulo dum moestus inhaeres,

Omnia solliciti signa doloris habent.

Sistitur, ante alias omnes, vxoris imago,

Agnoscisque TVAE gaudia prisca domus.

Talis erat, placida gestans in fronte pudorem,

Aegra, sed ingenuis non minus apta iocis.

Hic fuit, hic mecum socialia brachia iunxit,

Hic mihi colloquiis gaudia saepe dedit.

Hoc saepe expectans mihi prodiit obuia vultu.

Sic facta est abitu tristior illa meo.

Haec TIBI cum subeunt, plorant tecum omnia circum,

Et nimis in lacrimas officiosus amor.

Illa quidem dulci longe dignissima vita,

Deserit, ante diem, non reditura, virum.

Ast is, Threicium superans moerore poctam,
Coniugis ingeminat tristia fata suae.
Et modo nequidquam cantu solatus amorem,
Ducit inexhaustis quæstibus vsque diem.
Aut fletu exsatians animos et pectora planctu,
Ad coelum viduas porrigit ille manus.
Nempe quis immensos dicat solantia luctus
Verba? quis humentes tergat, vt ante, genas?
Nulla TIBI coniux, nulla est, fuit illa, CRISENI.
Hic cara infelix contegit ossa lapis.
Exiit ille hominem, gestatque in pectore ferrum,
Qui videat siccis talia luminibus.
Noueris et mundi causas, et stamina rerum,
Atque scias ortus, interitusque scias:
Vsque adeo mortalis eris, qui talia cernens
Luminibus lacrimas continuïsse neges.
Plange ergo, ac precibus placans et carmine manes,
Humecta lacrimis coniugis ossa TVAE.
Plange, nec abstineas tanto indulgere dolori:
Nam dolor et lacrimae pectora magna decent.

Illā t'vōs meruit gemitus, quae sola voluptas,

Et fuit in solis quae TIBI turba locis.

Ipſa viro felix erat, at t'v coniuge felix,

Par amor et ſtudium par in vtroque fuit.

Non aliter moriens, quam cum TIBI proderet ignes,

t'v coluit, rara conſpicienda fide.

Quid non fecit amans? quid non moribunda locuta eſt?

Quid non deficiens lingua precata: vale?

Quin etiam media cum lumina morte natarent

Languida, detinuit t'v moriente manu.

Forſitan et, leuibus ſi ſenſus inhaereat vmbriſ,

Reſpiciet lacrimas nunc quoque laeta t'vas.

BR 235

Za
2927

AD


VIRVM ILLVSTREM ET AMPLIS

IOHANNEM GOTLOB
BOEHMIUM

PR. ELECT. SAX. A CONSIL. AVL. HISTORIOGR. SAXON
HIST. IN ACAD. LIPS. P. P. O. COLLEGII PRINC. MAIOR
SODALEM ALVMNORVM ELECTORALIVM EPHORVM
PASTOREM ARCADA

DE MORTE
CARISSIMAE CONIVGIS

ELEGIA



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

